DE HYDROCELE EJUSQUE SPECIEBUS VARIIS DISSERTATIO...

Francesco medico Carminati (medico)



DE HYDROCELE
EJUSQUE SPECIEBUS VARIIS
DISSERTATIO

QUAM

ANNUENTIBUS

MAGNIFICO D. D. RECTORE

ATQUE ILLUSTRISSIMIS D. D. FACULTATIS MEDICÆ

DIRECTORE ATQUE DECANO

NEC NON PRECLARISSIMIS PROFESSORIBUS

AD DOCTORIS GRADUM IN RE MEDICA

ASSEQUENDUM

IN IMP. REG. UNIVERSITATE PATAVINA

DIE MENSIS AUGUSTI AN. MDCCCXXII

UNA CUM ADNEXIS THESIBUS

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

FRANCISCUS CARMINATI

BERGOMENSIS

PATAVII

TYPOGRAPHIA PENADIANA

MDCCCXXII.



CLARISSIMO VIRO

CÆSARI RUGGIERI

CLINICÆ CHIRURGICÆ IN I. R. U. PATAVINA

PROFESSORI ETC.

FRANCISCUS CARMINATI

OBSEQUII, ET GRATI ANIMI GRATIA

Non in gloriæ Templo ad honorificam sedem sequendam proprias in paginas dicere audeo. Si quem in Chirurgiæ artis curriculo gradum feci Tui est, Clarissime Professor, et hocce munu-

sculum meo grato animo infirme respondens, veluti res a doctissimis Tuis erga me curis parta debet recenseri. Fac idcirco ut libenti corde, et ea qua clarescis humanitate, opus accipias lucem publicam alieno pacto œgre sumpturum.

Dedi Patavii die Augusti anno MDCCCXXII.

DE HYDROCELE

EJUSQUE SPECIEBUS VARIIS

DISSERTATIO

Ex variis Corpus humanum afficentibus, morbis, molestiores non reperias, quam qui in genitalia ingruentes, eaque nobili sua facultate orbantes hominem luctus inter ac tædia vitam odiosam degere cogunt ni amica, ni benefica et reparatrix Chirurgia cito in auxilium properet.

Inter plurimos Hydrocelen, utpote frequentissimam, in nostro programmate tractandam seligimus.

Aquosum quemquæ tumorem, scroti cellulare textum, didymorumve membranas, aut funiculorum spermaticorum cellulares tunicas occupantem, Hydrocelen vocant.

Duplex distinguenda Hydroceles species: suffusa nempe, et effusa, quarum prima iterum dividitur in illam quæ textum cellularem occupat funiculum spermaticum circumvallantem, atque

in illam quæ in alio cellulari textu marsupiorum structuram ingrediente, efformatur.

Similiter duplex consideranda Hidrocele effusa aut enim in nativa tunicæ vaginalis cavitate cumulatur humor; aut in factitio Kisto intra marsupiorum, funiculive spermatici substantiam cellularem excavato, colligitur. Nec sub-divisiones nostræ futiles et inutiles rejicende siquidem at morbi essentiam pertinent, atque tum diagnostico, tum curationi prosunt.

Hydroceles causæ in externas, et internas distingui solent. Pro externis habentur ictus, lapsus violenti, nisus et compressiones, quibus debilitatio partium tono sanguis et lympha stagnare coguntur.

Numerosiores internæ sunt humorum vitia, varia sanguinis et limphæ e genitalibus recursi impedimenta, obstructiones viscerum abdominalium, scirrhosi tumores vasa spermatica funiculumvæ circumsiti, ascites, et leucophlegmatia, congenitales Herniæ, morbi qualescumque dydimorum membranas, et eosmet-ipsos ingruentes, vaginalis aucta fluidi secretio, vel impedita eiusdem resorbtio.

Sua quæque Hydroceles species habet signa, quibus dignosci potest.

In Hydrocele suffusa, cellularem funiculi textum

occupante, funiculus, aqua perfusus tumorem exhibet pyramidatum, in inferiori parte latiorem, nec non a teste, versus et quandoque ultra annulum extensum. Epiplocelen simulat; taxi vero etiam iterata, nusquam repelli potest. Id peculiare tumor habet, quod si digito fortiter comprimatur, infixam depressionem aliquandiu retineat.

Seconda Hydroceles suffusæ species toti scroto communis est, et aqua per omnem substantiam cellularem, utrumquæ didymum circonvallantem, pervagatur sub duplici respectu morbus considerandus est: et quidem in principio infiltratio mediocris est, intunescentia levis; cutis mollis, colore non alterato neo rugis deletis pulti modo impressionem digiti retinet. Scrotum hinc et illinc æquæ tumefactum rima longitudinali in loco raphe respondente, bipartitum videtur. Funiculus autem sanus admodum digito pertingitur. In secundo morbi gradu, sero ac magis pervagato, tumoreque ingravescente, cutis ultra modum tensa, levior lucescensque et frigida, digiti impressionem non retinet. Penis infiltrationis particeps, et mirum in modum tumefactus, tortilem fingit columnam.

Quandoquæ evenit ut aquosa colluvies e cavo abdominis in peritonæi processum herniæ reductæ olim sacculum, defluxa Hydrocelen procreet

peculiaribus signis a precedenti distinctam. Hæc enim licet eumdem locum occupet, in eo differt, quod tensa minus, flaccida et fluctuans videatur, digitis compressa in abdomen compelli possit; indequæ ægro diutius decumbente evanescat.

Quemadmodum in textu cellulari funiculum ambiente cystidata nascitur Hydrocelæ sic et similis occurit nobis in eodem textu marsupiorum efformata quæ ab omni Hydrocele specie eo differebat, quod testis supersitus et summe mobilis tactu facillime secerneretur. Tumor absolute circumscriptus erat, et globosior, quam in quavis Hydrocele, nec non marsupiorum affecta para pendula magis quam alia, insuper aqua sectione evacuata, testem in cystide non contineri clarius apparuit.

Hydroceles figura volumenque et alia phænomena pro morbi temporibus fluidi natura, congestionis modo, testis et membranarum statu sunt varia. Etenim in principio rotundus, crescendo ovi, aut piriformam excipit, cuius extremitas minor superius, et major inferius est posita. Nunc lente, nunc rapide crescit, ideoquæ indolescit vel non. Fluidum modo limpidum, modo subflavum, subviride, purulentum sanguineum aut fuscum, vel tenui, vel crasso et duro sacculo continetur; unde luciditas aut opacitas deducendæ.

Humoris quantitas vel major, vel minor, fluctuationem sensibilem aut obscuram efficit, et quandoque nullam; ita ut morbus pro sarcocele, etiam ab expertissimis habitus fuerit.

Haud raro evenit ut morbus ille a sarcocele procedat et cum illa conjungatur; quod quidem complexionis genus facili negotio dignosci potest, si testiculi et funiculi status sedulo perpendatur; tum enim testiculus majori volumine et pondere, duritie nec non asperitate notandus; Funiculus acerba et nodosa tumefactione, et scirrhosa duritie afficitur.

A causa, sede, specie, tempore, ætate et complexionibus Hydroceles deducenda prognosis. Sic et varia instituenda curandi methodus.

Vaginalis Hydroceles cura in palliativam et radicalem distinguitur.

Prior ad ægrotantis levamen, solumodo conducit, et in eo consistit ut acutriquetra, canaliculo instructa, emittantur aquæ quotiescumque earum moles, pondusquæ ægro sunt molestia.

Eo tendit radicalis, ut morbus penitus eradicetur. Media septem ad illam prosequendam adhibita fuerunt: nempe incisio, cauterium, excisio, turunda, sipho, injectio, et setaceum. Quæ si attente perpendas, duabus classibus comprohendere non dubitabis; et quidem vel in saculi extirpa-

tione, vel interitu consistunt ut cauterium et excisio, vel tunicæ vaginalis sacculum costituentis agglutinationi et adherentiæ cum albuginea favent uti setaceum, injectiones etc. Illa quequæ, media describere supervacaneum foret, cum plurima illorum è praxi submota fuerint.

Nullum sane faustioribus numerosioribusquæ successibus insignitum magis quam setaceum; quod quidem frequentissimo majoribus in usu fuit, e praxi vero quasi deserto, a celeberrimo tandem Chirurgo *Pott* restauratum, et innumeris experimentis comprobatum est.

Fatendum quidem plures occurrere casus in quibus in vanum tentaretur hic operandi modus; nempe cum vaginalis tunica duritiem, et crassitiem tantam usurpaverit, ut, amissa vi elastica, in se ipsam reverti, et cum albuginea adhærere nequeat, aut fluidi natura exitum faciliorem saccique detertionem requirat; si demum testiculus scirrho afficiatur.

Suffusa funiculi spermatici Hydrocele, aut incisione longitudinali, aut setaceo facile curatur. Si cellularis textus, crassus nimium, et induratus humore quodam concreto, vel glutinoso sit infartus; satius est, sectione lungitudinali prius divisa cute, eumdem textum undequaque scarificare, et eiusdem exfoliationem expurgationemque supu-

rantibus promovere. Cum vero suffusus humor è cellula in cellulam emergere valet, setaceum preferendum, illudquæ instituendum acu plana et curva, cuius latitudo ea sit quæ permultas una vice cellulas disrumpat. Tum setaceo balsamo sulphuris illinito, aliisve detergentibus curatio perficitur.

Quæ scrotum invadit huiusmodi Hydrocele vel idiopaticam, vel symptomaticam, scilicet anasarca aut ascite productam: nec certam in ultimo casu curam obtinere possit, nisi prius essentialem morbum debellatum fuisset.

Quæcumque sit Hydrocele cystidata, qualemcumque locum occupet, eadem est curandi norma; dividatur nempe et secure sacculus incisione longitudinali aut excisione ejusdem: hoc enim in casu non eadem metuenda sunt incomoda.

De modo celebrari debeat excisio non convenit inter scriptores. Alii sectione longitudinali quo divisa cute intactum sacculum digitis dilaceratum, et e scroto diductum ex toto; alii contra ex parte tantum ressecandum esse contendunt. Tam una, quam altera methodus ad impediendam recidivam, optima sunt, ideo Chirurghi genio, et ab ægroti circumstantiebus unam aut alteram prefferre pertinebit.

Si testiculus scirrho vel putredine affectus vi-

deatur ; quod quidem sedulo perpendendum, cito ille ressecandas est ei parcere turpe esset, æque ac differre in tempus quo accidentia graviora extirpationem imperantia exitum perdubium prænuntiant. Cavendum tamen ne testiculi durities a lue venerea pendeat. Tum enim ab omni cura abstinendum, nisi specifica prius tentata fuerint.

THESES

I. Actio Mercurii determinari nequit.

II. Media arteriarum membrana muscularis minime est.

III. In apoplexia sanguinea cavendum ab emeticis, etiam si Æger vomituritionibus vexetur.

IV. Semper utilia in graviditate, partu, et post partum balnea reperiuntur.